



Diese Abzug. W.

Ans.

22

Be

# ECBATANA GALILÆÆ

JOS. XIX, 25.

PLINII ET HERODOTI LVCE ILLVSTRATA  
PRO NVNCIO

## JOSVÆ

IN ACADEMIA JULIA, A. MDCCXXL  
MENSE JULIO ET AVGVSTO

PVLICE RECENSENDI

INTERPRETE

## HERMANNO von der Hardt

ACAD. JVL. SEN. ET PRÆP. MARIÆB.



HELMSTADII,  
LITTERIS HAMMIANIS.

# FONTIVM HEBRAICORVM CULTORIBUS PHILOLOGIS JOSVAM.

**A**bsolvimus nudius quintus, eunte Junio, curata publica recensione *Prophetas minores omnes*. Eousque divina providentia implevit vota, quæ nuper circa jubilæi evangelici exordium, anno 1717. in academiacum usum & honorem serio conceperamus, denuo hebraicos fontes ab initio curate recensendi, pro solidis philologicæ fundamentis, literatura nobilioris principiis & regulis firmis ac irrefragabilibus, ex *nativa lingua indeole, historia & geographia veteris vestigiis, ceterisque antiquitatis praesidiis*, ut *sensus scriptorum proprius & genuinus, proximus & immediatus, quem literalem vocant, cognosci curate possit*. Omnes intendere nervos jussit veritatis studium & evangelicæ ecclesie in columitas. Postquam enim, ex gentibus oriundi omnes nos, christiani facti sumus, plane aliud doctrinæ & vitæ ac speci genus indepti, nupera reformatio nos docuit, hujus mutationis unicam normam esse *scripturam*, eamque ex *fontium sacrorum sententia*. Quamobrem sancta Principum est voluntas, in academias existere professores, qui fontes sacros, inconcussum veritatis christiana fundum, publice recensent ac illustrerent; partim illi, qui philologiam profiteri jussi sunt, hoc est, elegans *literatura genus, historia & geographia remotæ incognitos circulos, & artis dicendi* in recenfendis autoribus ampla adjumenta, pro *sensu genuino demonstrando*; partim isti, qui reconditas ibi res sacras detegant ex officio, & vindicent, vel & ad usus salutares componant. Illud igitur, cum divino nutu & Principum mandato mihi contigerit, jussa exequi ultra triginta jam annos, quibus hoc faxum volvi, non sine sudore, haud legnis contendit. Sed &, quanto propior vita terminus, tanto majori animo & studio, non sine calore quodam, hanc operam continuo, qui malo stans mori, quam vel otio vel ætate frangi. Quandoquidem ergo hoc affectu, haud ita pridem, anno illo celebri 1717. in me-

mo-

moriām juris in sacros fontes parti, hebraicos codices a capite ad calcem, pro  
brevi vitæ ambitu reliquo, curate recensere institui, fatorum successum deo  
committens, impedimenta dissimulaturus, mollis animi tolerantia; *Pentateu-*  
*chum* Mosis illis diebus fortunatis lato ore pectoreque, ut sacrī fontibus di-  
gnūm, exācta recensione retexere cœpimus; & deo adjuti auxilio, auditorum  
attentione animati, uno filo absolvimus anno 17.8. die 2. Junii. Præstare co-  
nati sumus quod officii ratio, ætas, usus, & in his longa harum quoque rerum  
experiencia docuit. Binas auditorio quotidie impendimus horas, pro ope-  
ra tanta urgenda, & tanto promptius atque maturius absolvenda. Aliis mox  
officii partibus pro justo intervallo alia quædam fuere danda, fundamentis  
præsertim lingua vetusta ex remota ætate pandendis. Interēa die 15. Augusti  
programmate sueto denunciavimus, a *Mose ad Prophetas* nos proxime progres-  
suros, pari fide atque industria, & a *Jona* quidem, quem primum dicerent,  
orsuros. Ex quo tandem, die 9. sept. Gorgones ex grammatica exes-  
se jussimus, cum fine mensis, profundis antiquæ rei gurgitibus merito *Jona*  
opem publicam quandam ferre allaboravimus, ad illius preces accessuri pro-  
pius. Sed cum Jonas in undis fluctuaret, illum arbitrio divino tantisper com-  
misimus, non nihil territi abyssō, cum illum sequi horrore non careret. Con-  
sultum proinde visum, *Amosum* prius lateri *Jona* jungere, aliqua etiam huic  
publicorum amanuensium ex officina quaesita prius opella. Cum fluctus  
conspicuum *Jonas* non admitterent citius, verno tempore favente A. 1719, *Jo-*  
*nam* udum in publico loco salutavimus, mensis *maji* die 2. Quandoquidem  
vero *de idolis* illi sermo, in illius & totius prophetarum sequentium senatus gra-  
tiam, rōto illo mense *majo* de universis *idololatria veteris* characteribus distincte dis-  
seruimus, qui in hebræorum codicibus comparent, quorum numerus ingens,  
haec tenus perobscurus & a plerisque desertus. Posthac *juniū* dedimus *Jo-*  
*na*, quem amicissime inter auditores sumus complexi, utpote hospitem ex  
ponti gurgitibus reducem, expertum profecto virum, fundi maris nuncium.  
Quem cum ad portas Ninives comitaremur, apud illum sub umbra ricini vel  
momento commorati, ad nostros reversi, *Amosum* mense *augusto* & *septembri*  
invisiimus, ab illo benigne habiti, auditoribus illius convivis, quibus siliquas,  
carnubos, ceratoniae fructus, apposuit frugalis dulces & *Johanni baptistæ* de-  
licatos. Cum ex publico cœtu discederet *Amosus*, fores aliquot diebus clau-  
xit, *Joel* quæsitus, qui symbola sua nobis commendaret. Accedit tandem  
*Joel* A. 1720. die primo *juli*, benignus & benevolus, nuncians, omnes cete-  
ros viros graves ordine suo adventuros, jussitque componere universa ad il-  
los humaniter excipiendo, integrum hospitiū annum poscens. Diverit apud  
nos *Joel* mense *juli* & *augusto*, multa narrans. Abeuntē statim exceptit  
*Obadias*, mense *septembri*. Hunc e vestigio fecutus *Hesias*, mense *octobri* & *no-*  
*vembri*, plura commemorans. Adfuit mox *Aicha*, mense *decembri*. Anno hoc 1721.

*Nachum comparuit, mense januario; eodem & Habacuc. Zephaniae venit mense februario, Haggaeus marcio; Cui mox praesto fuit Zacharias, aprilem & maium integrum sibi apud nos vindicans, suorum symbolorum interpres, nec longæ Maccabaicæ historiæ immemor. Ante paucos dies, latus nostrum in auditorio clausit Malachias, mense junio, sua austeritate nobis non molestus, sed tanto gravior quanto severior. Ad suos hic rediit antecessores nuperime, die 26. iunii, consuluitque nobis, cum integrum illum annum decem prophetis audiendis insumfissimus, binis quotidie horis publicis illi congressui consecratis, sine mora a Mose & prophetis minoribus, vel ad majores, vel & historica quædam monumenta properaremus, pro agnito ampliore ac magis necessario auditorum usu vel & desiderio. Ad Josuam ergo proficisciemur, rogantes, velut nos in suam admittere societatem, in regionibus præclaris visendis, distribuendis, occupandis, & ad posteros propagandis, optimo duci polliciti obsequium, vigilantiam, officia, & si desideret, arma nostra. Neque subducemus manus nostras, in mappis adornandis, pro tribuum situ & ordine. Qui memor erit, nos non concedere otium manibus nostris a colloquis publicis; Siquidem omnes dissertationes Mosis & prophetarum, per singulas horas, chartæ privatim credere consuevimus, qui publice libero usi sunt ore; ut parati aliquando essent, omnium dictorum, omniumque horarum reddere rationem, et si qua poscat, lucem suo tempore inveniant. Quo labore Moses & prophetæ laudati sunt defuncti. Sed & obsecrabimus Josuam, belli quidem ducem ac imperatorem, a literis tamen non aversum, sed illarum peritum, qui socios ferat nostros, quos comites adduxerimus itinerum per Palæstinam, *Ptolemaiem*, *Strabonem* & *Plinium*, ætate longe inferiores, sed terrarum notitia coævos. In primis ubi non dissimulaverit Josua, se quidem restantas manu forti consecuisse, interim ferro plus quam stylo dedisse, quem in consignandis magnis illis facinoribus commisisset alteri cuiquam nepotum, qui majorum res caneret decenter. Adeoque fatebitur ingenue, itinerum horundem socios, laudatos *gracos latinosque geographos*, enunciatiuros fideliter & candide, quo sono urbes Palæstina plerique effterant ab exteris ipsisq; græcis, addita oppidorum descriptione luculenta. Multo facilius tolerabit manus Josephi, qui cum milite suo, miles itidem, Josuam æmulatus, terras illas peragravit, & sui ævi nominibus loca insignivit. Neque averfabitur *geographorum recentiorum* conspectum, qui eminus vestigia Josuæ obsevassæ credantur & porro observent. In quibus, quam prope Bochartus, *Ligtfootus*, *Cellarius*, *Relandus*, accesserit, aut quam longe alicubi recesserit, exponi non refragabitur. Quin & indulget nobis, *varia corundem locorum nomina*, pro seculis subinde mutata, ex ceteris monumentis sacris, majoris lucis gratia advehere. Quod multæ orationum apud prophetas caligini medebitur. Exempli numero, Josua, cap. 19. v. 25. tribui Ascher donat urbem *Iacob*, *Eusebius* & *Hieronymus**

mus peregrino sono appellant *Baitoanea*, *Baitoavia*, *Bittere*, *Barral*, quibus nihil juvent; nihilominus locus in oculis utriusque fuit, qui situm satis curate indicarunt, *vicum* dicentes *15. miliaribus a Ptolemaide versus orientem remotum*, *15. miliaribus a Cæsarea*, ibique esse *thermas*. Lapidès italici nobis dant germanis duo miliaria a Ptolemaide,  $\frac{3}{4}$  a Cæsarea, ad ortum. Recentiores plerique solo nomine contenti. Adrichomio Bathne, Clerico Beten, Cellario pag. 484. audit locus minus notus. Potuissent Eusebius & Hieronymus, quibus locus abunde cognitus fuit, verum nomen græcum addere, si is scopus fuisset aut incidisset. Sed negotium illis nimis adhuc difficile visum, exteros geographos græcos adscendendi, quod nostra ætas didicit. Quando igitur *thermas* istic loci monstrarunt, aliquid caloris sensit Relandus, aut tempore saltem, auguratus, Plinio adjutus nuncio, esse *Ebatana*, non longe a Ptolemaide. Plinius itaque, suo modo inter geographos veteres locandus, sua manu prehendit Relandum, ut suo nativo nomine monstraret locum. Et tamen adhuc hæsitabundus Relandus, dubius an Plinium sequi & audire fas sit. *An forte*, inquit, p. 67. *Bebeten idem ac Ebatana oppidum, quod Plinius non longe a Ptolemaide locat?* Non dubitasset, nisi in dubium vocasset Eusebii fidem, de situ Baitoaneæ, *15. miliaribus a Cæsarea ad ortum*. Eusebius recte: Κώμης Βαϊτοανεῖα, κεισηρίας ἡ πόλις σπουδεῖος τέ, ἐν τῇ εὐαγγελίᾳ, ἐν ὅρᾳ νεφέλων, ἐν τῷ λόρη τοῦ πατρὸς Ιωάννου. *Vicus Batoanea*, distat a Cæsarea *15. miliaribus, ad ortum, in monte suis*. Ibi lavacra esse dicuntur medica. Idem, eadem certitudine: ἐγινέκαντο Βαϊτοαναί, ἀπὸ τῆς σπουδεῖας, ἐν τῷ λόρη τοῦ πατρὸς Ιωάννου. *Est vicus Batanaæ, 15. miliaribus a Cæsarea, ubi lavacra feruntur esse salubria.* Relandus hic suspensus, p. 483. *Suspicio eundem esse vicum, cuius nomen Barral apud Eusebium legitur, qui in Aſer collocatur.* At quomodo *vicus tribus Aſer tantum 15. miliaribus a Cæsarea diffinis fuit versus orientem?* Julta mensura, si distantia a Ptolemaide attendatur, duorum miliarium germanicorum, recta ad ortum, ad carmelum montem, supra lacum Cendeviam, ad boream sinus Ptolemaidis. Quomodo a Cæsarea, via obliqua ad sinum Ptolemaicum ad ortum & boream cundo, sunt 4. circiter miliaria, dupla quantitate. Plinius l. 5. c. 19. *Est promontorium Carmelum, & in monte eodem nomine, oppidum, quondam Ebatana dictum.* Quomodo consentit Stephanus, qui *oppidum Syria ex Herodoto appellat Ebatana*, Syria ample sensu, ut sepe. Plinius recte distinguit promontorium & montem Carmelum, quorum illud in littore maris mediterranei, prope Sycamicum ad austrum sinus Ptolemaici, hic supra sinum Ptolemaicum ad ortum longo in Galilæa tractu. Quem geminum montem Carmelum vicinum, unum maritimum alterum mediterraneum, hodie agnoscent, Ligtfootus, Celiarius, Relandus, cum veteres plane illos montes discriverint suis locis, et si jugis & radicibus cohærere potuerint. Indubitatum, in Galilæa superiori

riori in tribu Ascher montem extitisse Carmelum. Sub hoc monte palus Cendevia; ad hunc montem urbs laudata Ecbatana, thermis clara. Neque ullus in his scrupulus. Si audivisset Relandus *Herodotum*, qui bis *Ecbatana Syria* memorat, lib. 3. c. 62. f. 186. & c. 64. f. 187. non fluctuasset. In primis si intellexisset, in urbe hac Syriæ, h. e. Palæstinae, supra Ptolemaidem, ad montem Galilææ Carmelum, haud longe a lacu Cendevia, Cambysen Persarum regem obiisse, adeoque suo funere locum insignivisse. Cujus fati tefsis luculentissimus *Herodotus l. c.* Postquam Cambyses, in ægypto cum exercitu degens, somnio territus erat umbra Smerdis, regnum inter medos Cambysi erupturi, indeque fratrem Smerdin suspectum habens, umbra visionis & nominis falsus, clam illum occidi jussiferat; alias Smerdis, magus, arte regnum Persiae invasit, se fratrem Cambysis prætexens. Missi ex Persia nunciū subornati, a præfecto per Cambysen ibi constituto, cujus frater erat Smerdis ille, qui fratrem se jactaret Cambysis; qui Cambysi tunc in Palæstina degenti, ad Carmelum, in urbe Ecbatanorum, nunciarent seditionem Smerdis, fratris Cambysis. Horum nunciorum alter venit ad Cambysen, in Ecbatanis his Syriæ vel Palæstinae agentem. Seditionem Smerdis nunciavit Cambys. Hic territus nomine Smerdis, nuper jam extincti, cum rem omnem curate exploraret, deprehendit, magum illum esse Smerdin, qui regnum invasisset. Quamobrem cum constituisset in Medianam properare, cum equum confonderet, miro fato, ense excidente e vagina crus nonnihil læsit, ut pergere esset negatum. Hoc vulnus non curatum recte contraxit ignem, ut tabesceret pes, & extingueret istic Cambysen. Morti vicinus memor fuit somnii, quod habuisset in ægypto, se Ecbatanis moriturum. Dixitque, se somnio illo fuisse deceptum, qui credidisset, se Ecbatanis in Media obiturum, jam animadvertere, se Ecbatanis Syriæ occumbere. Quæ omnia evenere in Palæstina, in Galilææ superiore, ad Carmelum, supra lacum Cendeviam, Hierosolymis tunc Pontifice maximo Josua, duce Serubabele. Ut omnibus illis sua constet fides, Herodotus ipse hunc in Ecbatanis his Galilææ fatorum ordinem eloquatur. Is caduceator, inquit, qui (ex Media) ad ægyptum delegatus erat, (τερεντος δε γαρ Καμβύσην και τὸν σεγρὸν ἔβατο τῆς Συρίου εἰς Ευβαρεῖον, invenit autem Cambysen atque exercitum in Ecbatanis Syriæ agentem,) stans in medio, præcepta magi (a Cambyse præfecti) exposuit. Hac andiens Cambyses, vera loqui caduceatorem ratus, seque a Prexaspes (qui Cambysis fratrem Smerdin interficere jussus erat) esse proditum, quod missus ad occidendum Smerdin, rem non peregriseret, intuens in eum, Prexaspes, inquit, rem mibi non executus es quam injunxeram. Ad quem ille, ista here, ait, haud quaquam vera sunt, ut aut frater tuus aliquando rebellet in te, aut illa contentio, magna aut parva, ex illa adversus te orietur: Cum ego sim executus qua tu mibi imperasti, quique hominem meis i. suis humi-

humarim manibus. Si forte tamen mortui resurrexerunt, puta fore ut etiam A-  
syages Medus rebellet. Sin res ita se habent, ut antea, fieri non potest, ut novum  
aliquid malum ab illo tibi repulluerit. Mitte ergo mecum, qui assequantur cada-  
ceatorem, qui percutiendo indagent, a quo Smerdi veniat, quem audire oporteat.  
Hac loquentem Prexaspes Cambyses audiens, cum ei placuerint, confessim ad asse-  
quendum caduceatorem misit. Eum, ubi redit, Prexaspes his verbis interroga-  
vit: o homo, quandoquidem te aīs a Smerdi Cyri filii venire nuncium, dicitis ve-  
ritatem: Qua dicta, abito sospes. Utrum Smerdis ipse iū conspectum datum tibi  
ista mandavit, an quispiam ejus ministeriorum? Tum ille, equidem, inquit, ego  
Smerdin Cyri filium, ex quo Cambyses adversus egyptum fecit expeditionem, nun-  
quam conspexi: Sed magus, quem Cambyses rerum suarum familiarium procura-  
torem constituit, is mibi ista mandavit, dicens, Smerdin Cyri filium injunxit, hac  
apud vos dici. Hac ille loquens, nihil ementitus est. Tum Cambyses, Prexaspes,  
inquit, tu quidem quia ut vir bonus imperata fecisti, culpam effugisti. Verum,  
quisnam fuerit e Persis, qui contra me rebellavit, occupato Smerdis nomine? Ad  
quem Prexaspes: Ego, inquit, hoc quod actum est, mihi videor intelligere. Magi  
sunt, qui aduersus te insurrexerunt, Parizithes, quem iū rerum familiarium cu-  
raeorem reliquisti, & frater ejus Smerdis. Ibi Cambyses, cum Smerdis audisset  
nomen, percussit veritas sermonis, ac somni, per quod ei quidam visus fuerat nun-  
ciare, Smerdin regio insidentem solio ad cœlum usque pertingere vertice. Agno-  
scens itaque, sine causa fratris interemptorem se fuisse, deflebat Smerdin. Quem  
ubi deslevit, & de tota calamitate questus est, in equum insiliit, habens in animo,  
quamprimum Susa versus exercitum ducere in magum. Insilienti in equum gla-  
dius vagina excidit, unde nudatus gladius perfrinxit ejus femur, in ea scilicet par-  
te, in qua prius ipse tanquam oportuna ad feriendum (ut sibi videbatur) percusserat  
Apim, egyptiorum deum. Vulneratus Cambyses, quendam illi oppido nomen esse  
interrogavit. Illi ajunt, Ekbatava, Ecbatana. Sed cum fuisse jam antea Cambyses  
redditum ex urbe Basi (in egypto) oraculum, ēr' Ekbatavōis teleutōis tōs blōs,  
eum in Ecbataniis deceperunt, ipse interpretabatur se in Ecbataniis Media, ubi res ejus  
omnis erat, senem vita functurum: tō δὲ χριστέων τοῖς ἐν Εκβατάνῳ ἔλεγον  
αὶ οὐ, at oraculum, in Ecbataniis Syria, loquebatur. Postquam sciscitauit oppidi no-  
men recivit, tum magi injurya percussit, tum ex vulnere, respexit, & intellecto  
oraculo, dixit, Hoc in loco fatale est Cambyses Cyri decidere. Vicesimo dehinc die,  
accitis Periarum qui aderant præstantissimi quibusque, ita inquit: Quod maxime  
occultum volebam, Persæ, id cogor apud vos efferre. Ego enim, cum apud egyptum  
agerem, inter quietem visum mihi, quod utinam minime vidissim. Videbatur  
mihi nuncius quidam domo adveniens nunciare, Smerdin in regio sedentem solio  
cœlum capite contingere. Ex quo veritus, ne a fratre exuerer principatu, prope-  
rantius quam prudenter feci. Neque enim in hominis natura scimus est tō μέλλει  
incedit avertitur quod eventurum est. Itaque demens ego Prexaspis Susa

ad

ad Smerdin interimendum misi. Quo tanto scelere perpetrato, securius degebam, ne quaqueam conjectans fore, ut Smerdi sublato, alius quispiam mortalium in me exsigeret. Unde proorsus eventu rerum frustratus, & parricida fratri, in cassum extitit, & nihilominus regno exutus sum. Nam Smerdis magus erat is, quem demon mibi per quietem demonstravit in me arma sumptuerum. Hoc opus cum ego perpetravim, jam vobis Smerdin Cyri non superesse existimatis, sed magos vobis regnum occupasse: Quorundam alterum rerum domesticarum procuratorem reliqueram, alter ejus frater est Smerdis. Quem igitur deceat praecipue vicem meam ulcisci, indigna a magis passi, is impia morte a proximis suis affectus est. Cum vero iste superstes non sit, hoc mibi secundo loco relinquitur imprimis necessarium, ut vobis mandata dem, de iis, que mihi vita excedenti prestari volo, per regios deos obtestans cum omnes vos, tum maxime Achamenidas, qui adfisia, ne per socordiam permittatis, ut imperium rursus redeat ad Medos. Sed si dolo occupatum est, illud dolo surripatis, si vi praeceptum, ut recuperetis pro virili. Hac vobis facientibus, & telus fructum proferat, uxoresque & pecora parant, in omne tempus libertate fruentibus: Secus facientibus, contraria his quo dixi imprecor, & præterea unicuique Persarum cum finem qualis mihi contigit. Simul hac locutus Cambyses, omne illud factum suum deflevit. Persæ, ut regem lamentantem conspexere, universi tum vestimenta rescindere, tum effuso ploratu uti. Posthec, ὡς ἐφερέλατο τὸ ὄστον, καὶ ὁ μυρὸς τούτου ἐδίων, ubi femoris os vitiatum est (Sphacelo) femurque celerrime contabuit, Cambysis vita erepta est, Cyri filio, cum regnasset septem annos & menses quinque.

Hec sunt τὰ Εβατανα, Ecbatana, Syriæ aut Palæstinæ, hebræo ore בְּתֵן Beten, ditionis tribus Aser, in Galilæa, pro terrarum distributione, in historia Josua definita. Facilius consensisset pro judicii sui acie Cellarius circa Beten Josuæ, in Ecbatana Plini & Herodoti, si circumspexisset, qui cum locum Betenis non videret, Ecbatana aperte vidit, p. 508. Uti oculis non utimur, quando externorum geographorum consilium non audimus. Plinius & Herodotus, exteri duo autores locupletissimi, clarissimi in illum Josuæ locum commentarii. Tanti est bonarum literarum præsidio muniri, in hebræorum rebus cognoscendis ac illustrandis. Hoc agemus plus centies in Josua. P.P. in Academia Julia, A. MDCCXXI.  
die 1. Julii.

(o)

154892

ULB Halle

005 301 300

3





5b.

v. 178

R

VD17





# ECBATANA GALILÆÆ

JOS. XIX, 25.

PLINII ET HERODOTI LVCE ILLVSTRATA  
PRO NVNCIO

## JOSVÆ

IN ACADEMIA JVLIA, A. MDCCXXL  
MENSE JVLIO ET AVGVSTO

PUBLICE RECENSENDI

INTERPRETE

## HERMANNO von der Hardt

ACAD. JVL. SEN. ET PRÆP. MARIÆ.



HELMSTADII,  
LITTERIS HAMMIANIS.

11.5.

